

tur: hanc urbem sub ipso Caucaso esse positam. Ab ea ad flumen Chepta, et oppidum Indorum Peucolaitin cccxxvij. M. Inde ad flumen Indum et oppidum Taxila lx. M. Ad Hydaspem fluvium clarum cxx. M. Ad Hypasin non ignobiliorem xlix. cccxc. M. qui fuit Alexandri itinerum terminus, exuperato tamen amne, arisque in aduersa ripa dicatis. Epistola quoque regis ipsius consentiunt his. Reliqua inde Seleuco Nicatori peragrata sunt: ad Hesidrum clxxvij. M. Iomanem amnem tantundem. Exemplaria aliqua adiciunt v. M. pas. Inde ad Gagen cxij. M. Ad Rhodapham clxix. M. alij cccxxv. M. in hoc spatio produnt. ad Calinipaxa oppidum clxxvij. d. alij cclxx. M. Inde ad confluentem Iomanis amnis, & Gangis d. cxxv. M. plerique adiciunt xij. M. ad oppidumq; Palibotra cccxxv. Ad ostium Gangis d. c. xxx. xviij. M. pass. Gentes quas memorare non pigeat a montibus Emodis, quorum promontorium Imaus uocatur, incolarum lingua niuosum significante, Isari, Cosyri, Izgi, & per iuga Chisiotofagi, multarumq; gentium cognomen Braehmana, quorum Maccocalinga, flumina Pumas & Cainas (quod in Gangem influit) ambo nauigabilia. Gentes Calinga proximi mari, & supra Mandei, Malli, quorum mons Mallus, tractusq; eius finis Ganges.

Fluuius Ganges.

CAP. XVIII.

**H**inc alij incertis fontibus ut Nilum, rigatemq; vicina eodem modo, alij in Scythicis motibus nasci dixerunt. Influent in eum xix. amnes. Ex ijs nauigabiles, praeter iam dictos, Canucham, Vamam, Erranoboam, Cosoagum, Sonum. Alij cum magno fragore\* ipsius statim fontis erumpere: deiectionemq; per scopulosa & abrupta, ubi primum molles planicies contingat, in quodam lacu hospitari: inde lenem fluere, ubi minimum viij. M. pass. latitudine, ubi modicum stad. c. altitudine nusquam minore pass. xx.

\* ipis statim fontibus er.

Gentes Indiae.

CAP. XIX.

**N**ouissima gente Gangaridum Calingarum regio Partalis uocatur: regi lxx. M. peditum, equites mille, elephanti d. cc. in pinctu bellorum excubant. Naq; uita mitioribus populis Indorum multipartita degitur. Alij tellurem exercet, militiam alij capessunt, merces alij suas euehunt, res externas inuehunt, res publicas optimi ditissimiq; temperant, iudicia reddunt, regibus assident. Quintum genus celebrata illic, & prope in religionem uersa, sapientiae deditum, uoluntaria semper morte uitam accerso prius rogo finit. Vnum super hoc est semiferum ac plenum laboris immensi, a quo supra dicta continentur, uenandi elephantes domandiq;: iis arant, ijs inuehuntur, haec maxime nouere pecuaria, ijs militat, dimicantq; pro finibus. Delectum in beluas, uires & atas atq; magnitudo faciunt. Insula in Gange est ampla magnitudinis, gentem continens unam, Modogalicae nomine. Ultra siti sunt Moduba, Molinda, ubere cum oppido eiusdem nominis magnifico, Galmodroesi, Preti, Calissa, Sasuri, Passala, Coluba, Otzula, Abali, Talucta. Rex horum peditum l. M. equitum ij. M.

elephantos cccc. in armis habet. Validior deinde gens Andara plurimis vicis, xxx. oppidis, quae muris turribusq; muniuntur, regi praebet peditum c. M. equitum ij. M. elephantos mille. Fertilissimi sunt auri Darda, Setae uero argenti. Sed omnium in India prope non modo in hoc tractu, potentiam claritatemque antecedunt Prasi, amplissima urbe ditissimaq; Palibotra. Vnde quidam ipsam gentem Palibotros uocant, imo uero tractum uniuersum a Gange. Regi eorum peditum sexcenta M. equitum xxx. M. elephantorum ix. M. per omnes dies stipendiantur. Vnde coniectatio ingens opum est. Ab ijs in interiore situ Monedes & Suari, quorum mons Maleus, in quo umbrae ad septentrionem cadunt hyeme, aestate in austrum, per senos menses. Septentriones eo tractu semel in anno apparere, nec nisi xv. diebus, Beton autor est: hoc idem pluribus locis Indiae fieri, Megasthenes. Austrinum polum Indi Dramaasa uocat. Annis Iomanes in Gangem per Polibotros decurrit inter oppida Methora & Cyrioborca. A Gange uersa ad meridiem plaga tinguntur sole populisiam quidem infecti, nondum tamen Aethiopum modo exusti: quantum ad Indum accedunt, statim colore praefertur sydus. Indus statim a Prasiorum gente, quorum in motanis Pygmaei traduntur. Artemidorus inter duos amnes xxi. M. pass. interesse tradit.

Indus fluuius.

CAP. XX.

**I**ndus, Sadius ab incolis appellatus, in iugo Caucasi motus, quod uocatur Paropamissus aduersus solis ortum effusus, & ipse undeuiginti recipit amnes. Sed clarissimos Hydaspem quatuor alios afferentem, Cantabram tres. Per se uero nauigabiles Acesnum et Hypasin, quadam tamen aquarum modestia nusquam latior quinquaginta stad. aut altior xv. pass. amplissimam insulam efficiens, quae Prasiarum nominatur, & aliam minorem quae Patala. Ipse per xij. xl. M. pas. paracissimis autoribus nauigatus, & quodam solis comitatu in occasum uersus, oceano infunditur. Mesuram in ora ad eum ponam, ut inuenio, generatim, quaquam inter se nulla congruant. Ab ostio Gangis ad promontorium Caligon, & oppidum Dandagula d. cccxxv. M. pas. Ad Tropina xij. xxxv. M. Ad Perimulae promontorium, ubi est celeberrimum Indiae emporium, d. ccl. ad oppidum in insula quam supra diximus Patalam d. cxx. M. pass. Gentes montanae inter eum & Iomanem Cesi, Cetriboni syluestres: deinde Megalle quorum regi quingenti elephanti, peditum equitumq; numerus incertus: Chryseis, Parasanga, Asanga, tigri fera scatentes. Armant peditum xxx. M. elephantos ccc. equites d. ccc. Hos includit Indus, montium corona circumdatus et solitudinibus per d. cxxv. M. Infra solitudines, Dari, Surae: iterumq; solitudines p. clxxx. viij. M. pass. plerumq; harenis ambientibus haud alio modo quam insulas mari. Infra deserta haec Maltecore, Singa, Maroha, Rarunga, Moruntes, Masua, Pangunga: iam hi montium qui perpetuo tractu oceanioram

oram